



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt III. De speciebus Iuris realis; vt sunt Dominium, Vsusfructus, Vsus,
Possessio, & alia quædam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

cura acceptatione: per testamentum, vel successio-
nem ab intestato, secuta acceptatione: tale etiam
Ius est dominium rei, & usus, & usufructus, id
est, Ius utendi & fruendi, respectu rei quæ sub-
est illis Iuribus, item Iura quæ dicuntur *seruitu-
tes*; Ius etiam hypothecæ & pignoris; denique
omne Ius, quod rem aliquam siue corporalem,
(vt sunt agri, domus, suppellex) siue incorpora-

lem (vt sunt officia, beneficia, redditus, seruitutes,
& similia) ita nobis obstrictam tenet, vt ex
ea possimus percipere fructus, vel emolumenta,
vel securitatem creditorum, vel honorem, dicitur
Ius in re. quocumque autem res talis tran-
seat, potest vindicari tamquam nobis obstricta;
quia res omnis transit cum suo onere, quo est
affecta.

CAPVT TERTIVM.

De speciebus Iuris realis; vt sunt dominium, usufructus,
usus, possessio, & alia quædam.

Habet 13. Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit dominium in genere, & quænam eius species.



RESPONDEO, *Dominium* in genere
duo includit, nempe potentiam
quamdam, & auctoritatem in rem
vel personam (vt colligitur ex
D. Thom. de Potentia q. 7. a. 10.)
& subiectionem rei, vel personæ,
talem, vt inde dicatur ipsa esse alterius. Dominus
enim vocatur qui habet aliquid suum, de quo
possit disponere, vel in quod auctoritatem exerce-
re. qui autem nihil habet suum, in quod exerat
potestatem, non dicitur Dominus.

*Dominium
generatum.*

Itaque *dominus* in genere nihil videtur esse aliud
quàm ius gubernandi vel disponendi de re aliqua,
tamquam sua. *Suum* autem dicitur, quod ita sub-
iectum & astrictum illi, cuius esse dicitur, vt possit
de eo disponere proprio Iure, non ex commissione
alterius. Sic ius quod Deus habet in vniuersam
creaturam tamquam rem suam, quo potest de illa
statuere quod placuerit, est dominium Dei, &
quidem perfectissimum, cum creatura perfectissi-
mè sit eius, vt pote ei summè subiecta & obstricta
ratione creationis, conseruationis, gubernationis,
& summa ab eo dependentiæ omnium quæ in ipsa
sunt. Similiter Ius quod Rex habet in suum reg-
num, Dux in suum ducatum, & quiuis in suas
possessiones, dominium vocatur.

*Dominium
Det.*

Hoc modo *Dominium* diuidi potest in domi-
nium Iurisdictionis & Proprietatis. *Dominium Iu-
risdictionis* est potestas gubernandi suos subditos.

*Dominium
Iurisdictionis.*

Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, permit-
tere, iudicare, punire, præmiare. *Dominium proprie-
tatis* est Ius disponendi de re aliqua tamquam sua
in suum commodum. ab hoc dominio quisque di-
citur rei suæ dominus; siue ille sit persona priuata,
siue publica, siue communitas. nam persona pu-
blica & Respub. potest possidere bona iure priua-
to, instar priuatae personæ. *Dominium Iurisdictionis*
diuiditur eo modo, quo Iurisdicctio ordinaria,
quia ab hac non videtur distingui. vnde aliud est

*Dominium
Proprietatis.*

*Dominium
Iurisdictionis
diuiditur.*

seculare, aliud *Ecclesiasticum*. *Seculare* est quod
in rebus secularibus gubernat, pacem & publi-
cam tranquillitatem procurans, vt est potestas
Imperatoria, Regia, Ducalis, Comitalis, Mar-
chionalis, & similes, respectu prouinciarum, op-
pidorum, & pagorum, quæ ipsis proprio Iure in

negotiis secularibus subsunt. *Ecclesiasticum do-
minium* quod in rebus sacris & in rectè viuendi
ratione dirigit, cultum diuinum, & salutem ani-
marum spectans; vt est potestas Papalis, Patriar-
chalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, & aliæ infe-
riores, respectu subditorum, qui ipsis in spiri-
tualibus subsunt. *Dominium proprietatis* diuidi
potest in perfectum & imperfectum. *Perfectum*
dicitur quod continet proprietatem rei & com-
modorum eius. *Imperfectum*, quod tantum habet
vel proprietatem rei absque emolumentis, vel
emolumenta absque rei proprietate. Vnde hoc
dominium est duplex: aliud enim dicitur *directum*,
aliud *vile*. *Directum* continet solam rei proprie-
tatem: vnde habens hoc dominium solet dici pro-
prietarius. Tale dominium est quod habet filius-
familias in peculio quod dicitur aduentitium; &
Princeps in feudis; & qui dedit agrum ad emphy-
teusim, in agro; & omnis is qui dicitur dominus
eorum, quorum alteri concessus est usufructus.
Dominium vile continet solam rei commodita-
tem & vtilitatem. Tale est quod habet usufructua-
rius, feudatarius, emphyteuta. Hic tamen aduer-
tendum est, ne dominium directum esset omnino
inutile, Iure statutum est, vt certis quibusdam casu-
bus dominium vile redeat ad dominium direc-
tum. vt patet Institut. de usufr. §. 1. Vide Silue-
strum verbo *Dominium*, q. 1. & 2. Omnis domi-
nio Iurisdictionis (de quo 1. 2. quæst. 95. tractan-
dum) explicandæ nobis sunt præcipuæ species do-
minij proprietatis, & quædam Iura affinia.

*Dominium
Proprietatis
Perfectum,
Imperfectum.*

Directum.

Vile.

DVBITATIO II.

Quid sit dominium perfectum seu plenum.

NOtandum est, *Dominium* veteribus Latinis
dici *mancipium*, quod potissimum apprehen-
sione manuum hoc Ius acquiratur. vnde *res man-
cipi* dicebantur, quæ dominio erant subiectæ; &
homo sui mancipij, qui sui iuris erat: *dari & accipi
mancipio*, cuius transferebatur dominium. postea
hoc Ius cæpit vocari dominium, quo nomine
passim vruntur Auctores Digestorum, vt patet tit.
de acquirendo rerum dominio, & alibi.

Nunc

⁷ Nunc Resp. Hoc dominium sic posse defini-
 Quod do-
 minium
 perfectum
 tur. Dominium est ius in re, extendens se ad omnem
 eius usum seu dispositionem, nisi lege prohibea-
 tur. Definitur hic dominium plenum, continens
 in se dominium directum & utile. Definitio habet
 tres partes. Prima est *ius in re*, hoc enim est loco
 generis: omne enim dominium est ius in re: non
 contra, ut patet in hypotheca & pignore, in usu &
 usufructu; & in iure quod coniuges habent in
 mutua corpora: sunt enim hæc iura in re, non ta-
 men dominia. Excluduntur hæc omnia iura ad

⁸ rem. Dico *in re* generatim, quia etsi Iurisperi-
 tantum rerum corporalium velint esse dominium;
 Dominium
 iurium.
 incorporalia autem (ut officia, iura) possideri *quasi*
dominio: tamen hæc differentia passim non serua-
 tur, neque vulgò, neque à Theologis, neque à
 Iurisperitis: dicimur enim passim domini reddi-
 tuum, & similia iurium. unde quotidie emun-
 tur & venduntur etiam chirographa, & actiones

Ad omnem
usum.
 personales, & seruitutes. Secunda, *Extendens se*
ad omnem eius usum: quæ pars est loco differentia.
 nam proprium est perfecti dominij, ut possis re
 tua uti pro tuo arbitratu, eam vel tibi seruando,
 vel vendendo, vel donando, vel vastando. Hic ex-
 cluduntur. Primò, omnia ea iura, quæ etsi dicantur
 dominia, non sunt tamen dominia plena; ut
 dominium directum, quod est dominium proprietatis
 nuda sine usufructu: & dominium utile, quod est
 solius usufructus, vel usus: & dominium Iuris-
 dictionis, quale habet rex in regnum, & omnis
 superior in subditos. Secundo excluditur ius
 pignoris, & hypotheca, & similia. quamuis enim
 per hæc obtineatur aliquod ius in re ad aliquem
 determinatum effectum & usum, non tamen ad
 omnem usum: quia res, in quibus hæc iura habentur,
 non possunt vendi, donari, destrui. Sic Religiosus
 non habet dominium in vestes & libros, quia non
 habet ius ad omnem eorum usum, sed solum ad
 determinatum.

⁹ Tertia est, *nisi lege prohibeatur*. quia etsi domi-
 nium ex natura sua tale sit ut tribuat potestatem
 ad usum seu dispositionem rei qualemcumque;
 Lex inter-
 dum impe-
 dit usum.
 tamen interdum lege impediens fit ut hæc pote-
 stas non possit exire in actum. Sicut qui habet
 potentiam naturalem videndi, impeditur interdum
 ne possit ea uti ad videndum; quo impedimento
 sublato, statim sine accessione noui auxiliij
 potest in actum exire. Sic pupillus prohibetur
 alienare rem suam vsque ad certum tempus,
 cum tamen sit verus dominus, ut Apostolus ait
 ad Gal. 4. Sic maioratus, fideicommissa, & alia
 bona, quæ dicuntur vincularia, alienari ex legum
 dispositione non possunt; cum tamen yero domi-
 nio possideantur. non enim hoc impedimen-
 tum quod lex inducit, tollit naturam dominij aut
 Ius in re, sed solum impedit eius Iuris usum ali-
 quem & executionem; quo impedimento per lap-
 sum temporis, vel aliter cessante, sine collatione
 noui Iuris potest illa alienare. Simili modo potest
 impedi per votum & iuramentum, ut infra
 patebit.

¹⁰ Ex his facile intelligi potest illa Iurisperorum
 definitio, *Dominium est Ius perfecte disponendi de*
re corporali, nisi lege prohibeatur. vbi corporali me-
 lius omittitur, ut dictum est. Hæc tamen definitio
 non explicat hoc ius esse in re fundatum; quod ta-
 men ad rationem dominij est necessarium.
 Dices, Dominium videtur quid prius Iure

ideo enim habes ius in re illa ad omnem usum &
 dispositionem, quia es eius dominus; non contra:
 ergo dominium non est formaliter Ius.

Resp. Perfecta ratio dominij non est prior Iure
 & potestate disponendi de re; sed hanc essentialiter
 Dominium
 essentiali-
 ter includit
 potestatem
 & Ius.
 includit: esse enim dominum rei, est rem illam
 ita habere sibi subiectam & astrictam per aliquem
 actum, v.g. per emptionem & apprehensionem,
 ut ex vi illius subiectionis possis de ea libere
 disponere. Itaque dominium ex parte rei dicit sub-
 iectionem rei, & veluti seruitutem, qua domino
 est obstricta, & dicitur formaliter esse res mea,
 tua, sua: ex parte domini dicit non tantum nudam
 illam habitudinem, qua dicitur rem habere per
 emptionem & traditionem, sed etiam potestatem
 & ius quæ ex vi modi illius habendi sequuntur.
 Ad rationem in oppositum

Resp. Etiam dicimus hominem posse intelligere,
 quia habet intellectum; & tamen intellectus
 essentialiter est potentia intelligendi. Itaque iste
 modus loquendi non est sufficiens signum, ratio-
 nem dominij esse priorem quam sit ratio Iuris;
 potentia enim omnis considerata in se & ad se, con-
 cipitur ut prior seipsa, considerata in ordine ad
 actum; cum tamen reuera prior non sit; eò quod
 respectus & ordo ad actum sit illi essentialis.

DVBITATIO III.

Quenam requirantur ad dominij acqui- sitionem.

¹² Respondeo, & Dico Primò, Quando domi-
 nium ab vno in alium transferendum est, ad
 acquisitionem dominij ordinari duo requirun-
 tur, *titulus & traditio*: ita docet Couar. lib. 2. var.
 c. 19. Colligitur aperte L. Traditionibus. 20. C. de
 pactis. Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis
 transferuntur. iuncta simul lege Numquam. 31.
 7. de acquir. rer. dom. Numquam nuda traditio
 transfert dominium; sed ita, si venditio aut aliqua ius-
 ta causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.
 Ex his duabus legibus aperte habetur vtrum-
 que requiri & sufficere. Ratio est ipsa legum dispo-
 sitio: nam Iure natura non est necessaria traditio:
 est tamen rationi consona. quia sicut vt possim re
 aliqua uti naturaliter, requiritur in me vis vtendi,
 & in re conueniens applicatio: ita, vt possim re
 aliqua uti moraliter tamquam dominus, requiritur
 ex parte mea aliquod ius, per contractum
 aliquem, vel similem modum, & ex parte rei de-
 bita applicatio, quæ fit per traditionem vel apprehen-
 sionem. Accedit, quod hac ratione euitetur
 etiam incertitudo dominiorum, multarum litium
 seminarium.

¹⁵ *Titulus* est id in quo totum ius primitus fun-
 datur, vt emptio, donatio, successio hereditaria, &
 similia. per hæc tamen nondum habetur domi-
 nium, aut ius in re; sed solum ad rem: nisi accedat
 certa quedam traditio, quæ est veluti conditio nec-
 cessaria vt ex vi prioris donationis vel emptionis
 resulter dominium. Vnde si Petrus tibi vendi-
 disse prædium, domum, pannum, equum, vel
 aliud quiddam, & ante traditionem venderet al-
 teri & traderet, secundus emptor acciperet eius
 dominium, nec teneretur illud tibi cedere, sed so-
 lum haberes actionem damni in venditorem: vt
 patet ex L. Quoties. 15. C. de rei vindicatione.
 Nisi fortè alteri esset tradita titulo gratuito; tunc
 enim

enim posses illam vindicare. similiter, si alteri esset quidem tradita titulo oneroso, sed scienti eam tibi antea venditam. de quo vide Couarr. lib. 2. Variarum c. 19. num. 5. & infra cap. 21. Dub. 19.

- 14 Notandum est, Ex eo quod per solum titulum, vel contractum non consequimur dominium, vel aliquod ius in re ante traditionem, sed solum actionem personalem, (præterquam in pignore & hypotheca) resultare multos effectus, vt bene ostendit Antonius Gomez. de seruit. n. 23. & 24. Primò, promissi alicui vel vendidisti seruitutem in prædio. (v. g. ius eundi, vel currum ducendi per tuum prædium) & nondum tradidisti eo modo, quo tradi debet; si alteri vendis prædium, ille non habebit actionem in emptorem, aut in prædium, sed in te. Secundò, si vendidisti prædium cum pacto de retrouendendo, & ille vendat alteri, non habebis actionem in illum secundum emptorem, aut in prædium, sed in primum; quia nudum pactum de retrouendendo non tribuit tibi ius in re, sed actionem contra emptorem. Tertio, si alienasti bona tua in fraudem creditorum, & emptor alienarit in tertium; creditores non habent actionem in illa bona, vel in tertium, sed tantum in secundum, si fuit confcius fraudis, &c. vide plura apud Gomez. supra.

16 *Quando traditio non sit necessaria.* Dixi ordinarie, quia in quibusdam casibus non est traditio necessaria ad dominium acquirendum. Primò, in beneficiis: nam in his acquiritur ius in re, & quasi dominium per collationem & acceptationem. vt patet ex cap. Si tibi absentis, tit. de præbendis, in 6. Secundò, in hereditate: vt enim quis fiat dominus hereditatis, siue per testamentum, siue ab intestato, non requiritur aliud quam vt hereditas adeatur. vt patet ex L. Cum heredes. 23. n. de acquirenda vel amittenda possessione, vbi sic dicitur, *Cum heredes instituti sumus, adit hereditate omnia quidem iura ad nos transcunt, possessio autem nisi naturaliter apprehensa sit, ad nos non pertinet.* Aditur autem hereditas, dum accipitur verbo, vel factò, vt habetur Instit. de hereditum qualitate, §. vlt. Tertio, in legato. Si enim tibi certa legata sit, statim hoc ipso quo heres acceptat hereditatem, efficeris eius dominus. vt colligitur ex L. A Titio 64. n. de furtis. vbi dicitur *quod res legata recta via ab eo qui legauit, ad eum cui legata est, transeat.* Quarto, Quando aliquid donatur, venditur, aut relinquitur ciuitatibus, ecclesiis, aut aliis piis locis, aut in redemptionem captiuorum. vt colligitur ex L. Vt inter lus diuinum. 23. C. de sacrosanctis Ecclesiis. Quintò, In contractu societatis omnium bonorum per matrimonium. de quo vide Couarr. lib. 3. variar. cap. 19. n. 1. & 2. Sextò, Si donasti & tradidisti alteri domum, fundum, vel quid simile, sub ea conditione vt tibi alimenta præbeat, illo non præbente, vt debet, statim recipis dominium & possessionem illius rei, absque vlla traditione. L. 1. C. de donat. quæ sub modo. Septimò, Si Princeps contrahat cum aliquo, vel donet, & intendat transferre dominium, erit translatum absque alia traditione, vt docet Couarr. lib. 2. variar. c. 19. n. 3. Ratio est, quia sicut ex voluntate Principis est quod requiratur traditio; ita etiam ipsius arbitrio potest omitti. Præter hos vix inuenias alios casus, in quibus ad comparandum dominium siue plenum, siue non plenum, non requiratur traditio Iure communi Casareo. nam de Iuribus propriis

variorum regnorum, vel dominiorum non est nobis hic sermo.

Aduerte tamen, ad ius hypothecæ vel pignoris, talem traditionem aut apprehensionem non esse necessariam, sed nudam conventionem, vel legis dispositionem sufficere. vt patet L. 1. n. de pignoribus.

Dico Secundò, quando dominium non transfertur ab vno ad alterum, ad acquisitionem eius sufficit apprehensio: sic enim acquiruntur dominia earum rerum, quæ nullius sunt; vt infra dicitur cap. 5.

DUBITATIO IV.

Quidnam sit ususfructus.

Respondeo, *Est ius rebus alienis vtendi fruendi, 17* *salua rerum substantia.* Ita habetur Instit. de *Explicatur* *definitio.* *usufructu, in principio. Habet hæc definitio* 5. partes. Prima, *est ius*, quia non loquimur hic de vlu actuali, quem Iurisperiti vocant vsum facti, sed de ipso iure vtendi fruendi. Secunda est, *vtendi*, vt excludatur ius, quod habet creditor in pignore vel hypotheca, vel depositarius in deposito; hi enim non possunt vti rebus illis: quod si vtantur inuito domino, tenentur ei restituere æstimationem vsus. Tertia, *fruendi*, vt excludatur nudum ius vtendi re aliqua, quod non extendit se ad eius fructus percipiendos: sicut facit hoc ius, quo non solum datur potestas vtendi re illa, in qua constitutum est, (v. g. equo, domo, agro, filua) sed etiam fruendi, id est, percipiendi omnes fructus; ita vt hoc ipso quo eos colligit, acquirat in eis plenum dominium. Si tamen fructuarius, priusquam eos collegerit, moriatur, (etiam si iam sint maturi) acquiruntur domino proprietatis, non heredibus fructuarij. vt habemus Instit. de rerum diuisione. §. Is verò. Ratio est, quia quamdiu adhærent fundo, censentur vnum cum solo, vnde pertinent ad dominum soli, donec fructuarius eos colligendo comparauerit sibi eorum dominium, quare si durante suo iure non collegerit, manebunt domino fundi. *Fructus* *autem dicuntur, in grege quidem, lana, lac, fœtus: in fundo, qui- fœnum, segetes, virgulta, salices, & omnes arbores cæduæ: fructifera autem non censentur in fructu. proles ancillæ non censetur in fructu, ob dignitatem naturæ. Vide de his omnibus lib. 7. n. tit. 1. potissimum L. 8. & 59. & 68. Quarta, rebus alienis, vt excludatur ius vtendi & fruendi, quod quisque habet in re sua. Quinta, salua rerum substantia, quia fructuarius debet rem integram proprietario reseruare. Hinc fit vt usufructus propriè dictus non possit constitui in rebus quæ vsu consumuntur, vt in vino, oleo, frumento, pecunia. Vtilitatis tamen causa in his constitui potest quasi usufructus. tunc autem transferuntur *Quasi v-* *dominium in fructuarius; sed hic debet dare* *usufructus.* *cautionem se finito tempore præscripto restitutum pecuniam, vel rei æstimationem. Vide Instit. supra, §. Constituitur.**

Notandum autem est Primò, ob hanc vltimam *18* *Obligatio* *ad 4.* *particulam, vt salua maneant rei substantia, fructuarius obligari ad hæc quatuor. Primò, Si habet vsumfructum gregis, vel armenti, quamuis possit vitriui lacte, lana, & fœtu; tamen in locum capitum demortuorum; vel inuulium, debet*

debet è fœtu substituere alia capita : quæ postquam substituerit, cedent in dominium proprietarij: unde si pereant, ipsi peribunt. Ita habemus Instit. de rerum diuisione. §. Sed si gregis. hoc tamen non habet locum quando conceditur vsus, non gregis collectiue, sed animalium, seu singulorum capitum; tunc enim non tenetur substituere. Ita habemus L. Quid ergo. 70. 7. de usufructu. Ratio est, quia grex est æternus; sed singula capita seorsum pereunt.

Secundò, Si usufructus sit constitutus in silua aut vinea, tenetur fructuarius loco arborum vel vitium demortuarum alias serere; nisi vi temporis vel simili casu essent euersa. quod enim fortuito perit absque culpa fructuarij, proprietario perit.

Tertiò, Si in ædibus sit constitutus usufructus, tenetur ad modicam earum reparationem proprio sumptu, vt integræ permaneant; non tamen tenetur ad magnos sumptus quibus efficiantur meliores.

Quartò, Tenetur ad dandam cautionem proprietario, se boni viri arbitratu vsurum fructurum re ipsius, eamque restitutum finito tempore præscripto: vide plura apud Silu. sed minoris momenti.

19 Notandum Secundò, Vsumfructum acquiri dupliciter, Primò, Legis ordinatione. Hic dicitur *legalis*, vt is, quem pater habet in peculio filij aduentitio, quamdiu filius est sub patria potestate, & quem habet mater transiens ad secunda vota in bonis prioris tori.

Secundò, Priuata dispositione, vt testamento, pactionibus, stipulationibus. vt habetur Instit. de usufructu. §. 1. Hic dicitur *conventionalis*, vide Gomezium, de seruitutibus, n. primo.

DVBITATIO V.

Quomodo vsusfructus amittatur.

20 Respondeo, Amitti multis modis. Primò, si moriatur usufructuarius. Secundò, si res ipsa pereat: vt si domus incendio consumpta sit. Tertiò, si tanto tempore non vtatur suo iure, quanto opus est vt dominus directus contra eum præscribat. Hoc autem tempus est 10. annorum inter præsentem, & 20. inter absentes; vt colligitur C. de usufructu, l. pænult. Quartò, per maximam capitis deminutionem. Dicebatur autem maxima

21 *Capitis deminutio maxima tribus casibus.* capitis deminutio, cum ciuitas simul & libertas amittebatur: hoc autem fiebat tribus casibus. Primus est, per condemnationem ad metalla, vel ad bestias, vel generatim ad mortem. Sa pè enim condemnatio ad mortem longo tempore antecedeat executionem. Hi dicebantur effecti serui pœnæ, quod autem omnes ad mortem condemnati huc pertineant, patet L. Qui vltimo, 29. 7. de pœnis, & clarè L. Quod ad statum, 12. ibidem. vbi dicitur, eos in quos animaduerti iubetur, statim seruos pœnæ fieri. eodem pertinent damnati perpetuò ad tritemes; vt docet Gomezius ad L. 4. Tauri n. 1. Et quamuis per Authent. primam de nuptiis c. 8. ablata sit seruitus pœnæ, quatenus erat impedimentum dirimens matrimonium; non tamen est ablata, qua parte faciebat amitti vsumfructum, eumque reuerti ad proprietariu, vt eruditè ostendit Molina disp. 9. Secundus est, quando liber-

tus ingratiitudinis in patronum condemnabatur, ideoque rursus in seruitutem reuocabatur. Tertius, quando se patiebatur vendi, vt esset particeps pretij. Hi tres casus habentur Instit. de cap. demin. §. 2. Quintò, per mediam capitis deminutionem; quæ est, cum ciuitas amittitur, sed libertas retinetur; hoc autem fiebat duobus casibus: Primò, cum quis deportabatur in insulam. Secundò, cum aliquis proferiebatur interdictus aqua & igni: vt habetur Instit. sup. vbi

Aduerte, hæc debere esse perpetua, & cum amissione omnium bonorum; quò modo fiebat apud veteres: alioquin non inducitur mediam capitis deminutionem. Hi omnes dicuntur mortui ciuilitè, quia testari non poterant, & respectu bonorù perinde se habebant ac si mortui fuissent. vide Silu. v. Testamentum. l. q. 4. eodem pertinent damnati ad carceres perpetuos, iuxta communem sententiam Doctòrum. Per professionem vero non redit usufructus ad proprietarium, sed transit ad monasterium, si est capax successiõis; vt rectè Nauar. commentario secundo de Regular. n. 70. & sequent. colligitur Authent. Ingressi. C. de sacrosanct. Eccl. de quo inf. c. 41. Dub. 10.

Sextò, Si usufructuarius cedat iure suo ipsi proprietario.

Septimò, Si acquirat rei proprietatem: quod consolidatio dicitur. Vide Instit. de Vsumfructu. §. Finitur, & Siluestrum verbo Vsumfructus. §. 11.

Octauò, Si pater fiat hæreticus, hoc ipso amittit vsumfructum in bonis aduentitijs filij; lique statim coalescit cum dominio directo, quod habet filius. Ita docet Iacobus Simanchas Institutionum catholicarum tit. 9. n. 81. & noster Molina disp. 9. Ratio est, quia propter crimen hæresis paternum, etsi adhuc occultum, filius omnino exit patriam potestatem, efficiturque sui iuris, adeò vt nulla alia emancipatione egeat, vt expressè habetur cap. 2. de hæreticis in 6. Alexand. 4. Si nulla alia egeat emancipatione, ergo etiam quoad bona sua est exemptus à iure paterno. unde sequitur, posse illum vii occulta compensatione, si aliter suo iuri consulere nequit.

DVBITATIO VI.

Quid sit vsus.

24 Respondeo, *Vsus est ius vtendi re aliena, salua ipsius substantia.* De hoc agunt Institutiones & Digesta, post titulum de Vsumfructu. Patet ex dictis de vsumfructu. Additur *salua rei substantia*, vt excludatur ius ad vsum, quores consumitur, vel alienatur; qui etiam dicitur vsus, sed non ita propriè. Quid autem concedatur in vsu fundi, ædium, serui, pecoris, eleganter explicatur in Instit. tit. de vsu, & habitatione.

Solùm hic duo Notanda. Primum, Eum, cui concessus est vsus alicuius rei, non posse illam alteri locare, vel gratis concedere: secus est de eo qui habet vsumfructum. hic enim potest rem illam alteri locare, & percipere pretium elocationis, vel gratis concedere. Instit. de vsu §. 1. non tamen ita vt alter fiat usufructuarius: sed vt habeat ius quoddam ad percipiendos fructus dependens à iure usufructuarij.

Secundum, In omnibus rebus alienis, quibus aliquo modo vii vel etiam frui possumus, consi-

22 Media capitis deminutio.

23 Si pater hæreticus.

25 Discretum vsus et usufructus.

derari quamdam relationem subiectionis & obligationis respondentem iuri nostro, quod in illis habemus; quæ subiectionis seu obligatio vocatur *seruitus* à Iurisperitis. tit. de Seruitutibus rusticorum prædiorum, & urbanorum. c. eodem tit.

Seruitus.

27

Dico, in omnibus rebus alienis, quia *nemini res sua seruire dicitur*, secundum Iurisperitos, sed aliena tantum, ut habetur L. Vti frui §. 7. Si usus fructus petatur: idque distinctionis causa à dominio; quia Ius seruitutis formaliter minus est quam Ius domini. Unde Iurisperiti subiectionem rei, in quam habemus dominium, non vocant seruitutem formalem, sed causalem. vide Gomezium de Seruitutibus, in principio.

DUBITATIO VII.

Quid sit seruitus apud Iurisperitos.

28

Notandum est, hoc nomen dupliciter accipi apud Iurisperitos; Primò, pro subiectione & obligatione quæ est in re alterius, ut ipsa quodammodo seruiat alteri. Secundò, pro iure, quod responderet illi obligationi.

Quid seruitus pro iure.

Si accipitur pro *iure*, sic nihil aliud est quam ius fruendi, vel aliquo modo vtendi re aliena, vel aliquid circa eam impediendi. hoc modo est quid generalius quam usus & usufructus. omne namque ius vtendi vel fruendi est seruitus; ut docet Gomezium de Seruitutibus, n. 1. & 2. non contra: nam Ius impediendi ne alius attollas murum, est seruitus; non tamen est usus vel usufructus.

Quid pro obligatione.

Si autem pro *subiectione rei*, sic nihil est aliud quam obligatio realis, quia res alteri est obstricta, ut possit ex ipsa percipere fructum, vel ea aliquo modo vti, vel circa eam aliquid impedire.

29 Seruitus simplex.

Diuiditur autem in tres species, secundum Gomezium, & alios. Alia enim *seruitus est merè personalis*, ut ea quæ à persona debetur personæ: ut si mihi usum serui tui ad tempus, vel ad vitam meam concesseris. Alia est *merè realis*, ut ea quæ à re debetur immediatè alteri rei: talis est quæ respondet iuri agrorum, vel domorum, & similiarum rerum. Dixi *immediatè*, quia hæc seruitus etiam debetur à re personæ; sed mediatè tantum, nempe ex eo quòd fiat talis rei dominus vel còductor, v. g. ager meus habet ius ut per agrum tuum possit iri, vel iumentum duci in meum; ager tuus seruit meo: est quæ hæc seruitus realis; quia à re debetur immediatè rei, & consequenter hoc ius transit ad eum ad quem transit meus ager. Alia est *mixta*, quæ à re debetur immediatè personæ: hæc extinguitur cum persona cui debetur. talis est in re, qua possumus vti vel frui immediatè.

30 Seruitus realis.

Seruitus autem realis diuiditur in *Rusticam* & *Urbanam*, id est, in eam quæ prædio rustico, & quæ urbano debetur. *Prædium urbanum* in Iure vocatur omne habitaculum, etiam si in villa sit, & hortus annexus, causa amenitatis. *Rusticum* quoduis aliud; ut stabulum, horreum, ager. *Seruitutes* igitur *urbane* sunt, v. g. ut aedes tuæ non possint altius attolli, ne offendant vicini luminibus: ut in tuum parietem possit immitti tignum à vicino, & similia. *Rustica*, ut liceat tibi per fundum alterius ire in tuum, vel iumentum agere, vel aquam ducere, & similia; quæ optimè explicantur Instit. de Seruitutibus, & lib. 8. Digestorum tit. 1. 2. 3. 4. qui sunt de Seruitutibus. Hæc enim non magnopere

pertinent ad nostrum institutum. Vide plura apud Gomezium, de Seruitutibus.

DUBITATIO VIII.

Vtrum distinguatur usus à dominio, in rebus quæ ipso usu consumuntur.

Sunt duæ sententiæ admodum celebres, occasione Ordinis Fratrum Minorum, qui dicunt se nullius rei habere dominium, ne in communi quidem; sed nudum dumtaxat usum. Prior est Ioannis XXII. Extr. quæ incipit, *Ad conditorem*. §. Quòd autem. & duabus seqq. Ius vtendi rebus illis, quæ ipso usu consumuntur vel alienantur, non distingui à dominio earum; ac proinde Fratres Minores habere verum dominium in hisce rebus. Hanc sententiam sequitur Franciscus Sarmiento, de Redit. parte 1. c. 1. & 1. parte Defensionum contra Nauar. pag. 11. & Silu. verbo Dominium. §. 3. & Turrecremata lib. 2. Summæ c. 112. ad 10. argumentum.

31

Altera sententia est omnino contraria; nempe in hisce rebus hæc duo distingui, & proinde Minores, etsi usum habeant talium rerum, nullo tamè modo habere dominium, sed hoc esse penes Sedem Apostolicam. Ita declarauit Nicolaus III. Extrau. *Exijt qui seminat*. de Verborum significatione, in Sexto, & postea Clemens V. in Clementina, *Exijt de Paradiso*, eodem tit. Ante Nicolaum in eadè sententia fuisse Innocentium IV. & Alexander IV. & Gregorius IX. quos Nicolaus pro se citat. Hanc sententiam sequitur Soto lib. 4. de Iustitia q. 1. art. 1. Nauar. commentario 2. de Regul. n. 3. & plerique alij. pro qua

Dico Primò, Ius vtendi potest esse separatum à dominio, etiam in iis rebus quæ vnico actu vtendi consumuntur, vel alienantur. explicatur simul, & probatur.

32

Dupliciter enim potest alicui concedi usus, & Ius vtendi pane, vel pecunia. 1. *irrenocabiliter*: & tunc non videtur multum differre à dominio. 2. *omnino renocabiliter*, & dependenter à voluntate concedentis, ita ut quouis momento possit reuocari sine vlla iniuria vsuarij: & hoc ius sine dubio distinguitur à dominio, quia dominium est ius in re absolutum, & firmum, non dependens ex alterius nutu & arbitrio. hoc autem est conditionatum, & debilissimum. habeo enim illud, si velis; non habeo, si nolis me habere. Tale est quod singuli Religiosi in vestes, libros, cibos, & similia, quæ illis à Superioribus conceduntur, habent. Non enim ita conceditur illis ius vtendi, quin ad nutum Superioris reuocari possit. nam ratio Religiosæ paupertatis hoc intrinsecè includit.

Notandum autem est, *Vsum irrenocabilem* à Nicolao III. Extrau. *Exijt*, vocari *Vsum Iuris*; tum quia in eo habetur Ius absolutum; tum quia Iura de eo loquuntur. *Vsum autem renocabilem* vocat *Vsum facti*; non quòd in eo nihil sit iuris (sic enim iniustus esset, ut rectè Ioannes argumentatur) sed quia non est ius absolutum & solidum, utpote ab alieno nutu dependens, donec res ipso facto consumatur.

33

Dico Secundò, Verius est, Conuentus, totumque Ordinem Minorum, non solum in rebus alijs, sed etiam iis quæ vnico actu vtendi

34

C con-

Minores
non habent
dominium
in communi.
ni.

consumuntur, habere nudum vsum seu ius vtendi separatum ab omni dominio.

Patet ex decretis Pontificum Nicolai & Clementis, quibus tres alij Pontifices consentiunt: estque communior sententia DD.

Probatum Primò; Quia cum hæc possint separari, nihil mirum si de facto in aliquo ordine sint separata.

Secundò, Certum est, Religiosos singulos tantummodò habere talem vsum, absque omni dominio: nam quidquid habent, potest illis ad nutum Superioris auferri sine vlla iniuria, quod neque hi, qui sunt alterius sententia, negant vel negare possunt; nam hoc est de essentia paupertatis Evangelicæ: ergo nihil est incommodum, si id ipsum in aliqua communitate constituatur; ita vt ipsa tota nihil habeat, nisi nudam rei concessionem ad vsum, sine omni proprietate dominij.

35
Obiectio-
nes.

Obijciunt Primò, Ioannes XXII. Extr. Ad conditorem, dicit se abdicare a se & à Sede Apostolica, omne dominium harum rerum, ne Fratres Minores prætant illud esse apud Sedem Apostolicam, ergo vel est apud nullum, vel est apud ipsos Minores.

Respondet, Fideles, qui istas res largiuntur, vel intendunt sibi reservare earum rerum dominium donec consumantur, vel non intendunt: si intendunt, manet apud ipsos: si non intendunt, transit ad Sedem Apostolicam; nam post renuntiationem illam alij Pontifices rursus illud admiserunt, vt habetur in privilegiis Minorum, verbo Paupertas. Itaque Sedes Apostolica habet dominium non solum rerum immobilium, sed etiam omniam mobilium Ordini à Fidelibus absolutè donatorum, ita vt possit Ordinem huic priuare sine iniuria.

Obijciunt Secundò, Vsus distinctus à dominio est qui competit alicui in re aliena, salua rei substantia; vt habetur Institut. de Vsu & habitatione, & patet ex dictis, ergo ille vsus, quo quis potest rem consumere, non est distinctus à dominio: ac proinde Minores talium rerum habebunt dominium.

36

Resp. Negando consequentiam: nam solum sequitur, hunc vsum, quo quis potest consumere rei substantiam, non esse talem, qualis est ille de quo Iura loquuntur, qui propriè & strictè dicitur vsus.

Differunt
hic vsus &
ille de quo
Iura.

Est autem magna differentia inter hos duos vsus: etiam enim vterque sit ius quoddam vtendi; tamen hic de quo nunc loquimur, quem ponimus in Minoribus, (qui que *Vsus facti* vocari solet) est ius ad nutum reuocabile. vnde si dominus tollat rem quam dedit, non faciet illis iniuriam. ille verò de quo Iura (quem *Vsum iuris* vocant) non est reuocabilis: vnde si dominus tollat rem ante tempus concessum, faciet iniuriam. Deinde hic extendit se ad rei consumptionem, donationem, venditionem, sicut dominium; ille verò solum ad vsum, in quo salua manet domino rei substantia. Vnde hic vsus ratione iuris est minor altero; ratione tamen functionum ad quas se extendit, est maior.

Obijciunt Tertio, D. Tho. quæst. 78. a. 1. docet, in illis rebus, quæ vsu consumuntur, cuiusque conceditur vsus, concedi etiam rem ipsam eiusque dominium. vnde colligitur, in mutuo talium rerum non posse exigi vsuram. i. pretium vsus distinctum à pretio rei: ergo sentit *ius vtendi* non distingui in his à dominio.

Resp. D. Thom. loquitur de vsu, seu iure vtendi absolute & independentè ab alio; quod sanè nihil vel parum distinguitur à dominio in talibus rebus, quæ vnico actu consumuntur: nos verò loquimur de iure vtendi dependentè ab alio, quod distinguitur à dominio rei.

Inferes: Ergo hoc ius poterit pretio vendi, retento dominio directo; & alio contractu vendi poterit ipsum dominium: quod est aperire magnam fenestram vsuris.

Resp. Concedo, absolute posse vendi hoc Ius seu hunc vsum; sed minoris valet quàm dominij rei, vel Ius irrevocabile vtendi. Non enim tantum valet ius ad nutum alterius reuocabile, quantum ius irrevocabile. Neque ius quod conceditur solum ad vsum determinatum, quanti illud quod ad indeterminate. Quod si quis alio contractu velit vendere dominium directum, non potest plus vendi quàm per se valeat seorsim ab illo vsu; & ita pretium vsus & pretium dominij illius directi non superabunt iustam rei astimationem: sed hic modus contrahendi non est vsitatus; nam facile palliare vsuras; quamuis per se non sit illicitus.

An iste
vsus possit
vendi seorsim
à dominio.

Obijciunt Quarto, Si vsus distinguitur à dominio, ergo Ioannes XXII. errauit.

Respondet Primò, Esto; quia non in questione pertinente ad fidem; neque ipse asseruit suam sententiam tamquam ad fidem pertinentem; neque alios obligare ad ita sentiendum voluit: sed solum quid sibi videretur vt vir doctus explicuit.

Resp. Secundò, si quis benè rem totam introspiciat, deprehendet non esse differentiam inter has sententias, nisi in modo loquendi, non enim negasset Ioannes, Fratres Minores sine consensu Superioris non posse vendere cibos, qui illis apponuntur: & Superiores posse illis auferre sine iniuria. vnde quando vult eos habere dominium, non loquitur de dominio propriè dicto; sed de quodam iure, quod in effectu æquè valet ac dominium; quia ita liberè consumunt ac si domini essent. Vide Franciscum Sarmiento, de Reddibus parte 1. cap. 1.

Conciliatio
sententiarum.

DVBITATIO IX.

Quid sit possessio.

Notandum est, possessionem dici à pedum possessione, vt habetur L. 1. §. de Acquir. vel amit. possess. nam per *pedum positionem* super bona immobilia, quæ sunt potissima, vt super agrum vel fundum, solet acquiri possessio. tribuitur autem hoc nomè interdum ipsis rebus possessis. Sed hoc loco accipimus pro actu, vel iure possidendi, à quo denominatur quis possessor. Actus possidendi dicitur Possessio facti. Ius possidendi dicitur Possessio iuris. Vtraque nobis est explicanda.

Dico Primò, Possessio facti est detentio rei, corporis, & animi, & iuris adminiculo. Ita Sil. verbo Do-
40
Possessio
minium q. 2. ex Hostiensis. eam explicat ex parte facti quid.
Cuar. ad regulam Possess. p. 2. n. 2. in principio.

Prima pars, est detentio rei; vbi rem accipio in genere, quia non solum res corporales, sed etiam incorporeæ, vt census, beneficium, seruitus, & similia dicuntur possideri à Theologis; quæ à Iurisperitis dicuntur quasi possideri, vt notat Couar. supra. Nomine autem detentionis, intelligitur etiam

etiam apprehensio prima, quæ ordinariè requiritur; quæ apprehensio est possessionis inceptio, & acquisitio, vt notat Couar.

Secunda, corporis adminiculo; quia vt res aliqua incipiat possideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi manibus, pedibus, oculis, vel simili modo, in se, vel in alio, in quo censetur contineri; vt statim dicemus.

Tertia, animi adminiculo; quia debet eam apprehendere animo possidendi. Vnde depositarius non dicitur possidere depositum, quia non detinet illud animo retinendi sibi.

Quarta, iuris adminiculo, non quod omnis possessio facti sit iusta; (nam fur verè possidet rem furtiuam) sed quia ius facit vt talis detentio sufficiens censetur ad constituendam possessionem; nec eam impedit, sicut impedit ne detentio rei facta, vt loci religiosi, facta à laico, censetur possessio; vt patet L. Qui vniuersas. 30. de Acquir. & amit. possessione.

41 **Possessio iuris.** Dico Secundò, *Possessio iuris est ius insistendi alicui rei, tamquam suæ, non prohibita possideri.* Ita Bartol. in L. 1. de Acquir. vel amit. poss. & Couarr. supra num. 3.

Prima pars, est ius, vt excludatur possessio facti, quæ formaliter est ipsa occupatio & detentio, vnde hoc ius oritur, si iusta fuerit. quod si illa detentio fuerit iniusta, non oritur ex ea ius in conscientia; vnde solum dicitur possessio facti: quamuis Iurisperiti omnem possessionem ius appellent, respicientes forum externum.

Secunda, insistendi rei, vt excludatur dominium quod per se & formaliter tantum est ius disponendi de re. Hoc verò ius in eo situm est, quod possessor possit rem pacificè tenere, & iuris remedijs, & interdum etiam armis tueri aduersus perturbantes, quod hic dicitur *insistere rei*.

Tertia, tamquam suæ. Si quis insistat rei nomine alterius, non erit vera possessio. vnde tutor non est possessor bonorum pupilli; quia illa non detinet vt sua, sed nomine pupilli: nam pupillus possidet per tutorem. Sic etiam possum aliquid possidere per seruum, & per filium, *vt autem possideam per alium*, requiritur vt ille habeat animum rem detinendi pro me. si enim intendat pro se detinere, id est, tamquam suam, non possideo per illum: quia non meo nomine, sed suo detinet. Excipio tamen seruum & filium nondum emancipatum. hi enim, cum sint eius conditionis vt non acquirant sibi, acquirunt nobis; et si hunc animum non habeant, vt docet Couarru. supra: quod intellige, si iuste acquirant. si enim acquisitio esset iniusta, nec sibi nec nobis acquirerent; sed possessio maneret apud antiquum dominum. Colligitur Inst. Per quas personas nobis acquir. §. Item placet, in fine. & L. Quod seruus. 24. de Acquir. possess.

42 **Per alium possidere**
Seruus & filiusfam. non acquirunt nec possident sibi.

Quarta, non prohibita possideri, quia nemo potest habere ius possidendi contra Iuris dispositionem, seu Iure resistente; vt rei sacra, loci publici, decimarum à laico.

DVBITATIO X.

Quomodo diuidatur possessio.

43 **R** Esp. Etsi varijs modis diuidi possit, nimirum vel pro diuersitate titulorum, vel ratione bonæ & malæ fidei; vñtissima tamen est ea

diuisio, quæ in *Ciuilem* & *Naturalem* diuiditur. *Ciuilis est qua solo animo retinetur.* quamuis enim *Ciuilis possessio* initio vt incipias possidere, requiratur adminiculum animi pariter & corporis, vt dictum est; tamen postea vt retineas & continues possessionem, sufficit animus retinendi rem, nec desistendi à possessione, vt habetur Inst. de Interdictis. §. Possidere. Hoc modo possidet is qui abest à rebus suis, sed animo eas retinet & occupat. Dicitur autem hæc *possessio ciuilis*, tum quia magis constat Iure ciuili, quàm naturali; cum naturalis modus possidendi sit per corporalem insistentiã: tum quia parit effectus ciuiles, scilicet vsucapionem rei, & dominium fructuum.

Naturalis est qua corpore simul & animo retinetur; vt quando quis occupat rem vt suam. potest hæc *naturalis* coniungi cum *ciuili*, vt quando quis est præsens per se vel alium, rebus quas ciuilitè possidet: diciturque tunc possessor ciuilitè & naturaliter possidere: quæ possessio est firmissima. Potest etiam esse separata à *ciuili*: vt si inuafor occupet rem meam immobilem; ego ciuilitè, ille naturaliter eam possidet. hæc possessio infirmior est quàm ciuilis. Ad hoc tamen valet ne possessor possit ab extraneo deturbari, & interdum ne ab ipso quidem domino sine auctoritate publica.

Sed aduerte, hæc duo nomina interdum aliter accipi; nempe, vt *possessio Ciuilis* dicatur, qua res possidetur quoad dominium directum. *Naturalis* autem, qua possidetur secundum vsufructum, vel vsu, vel habitationem, vel alia iura diuersa, à dominio, vt docet Couarru. ad reg. Possessor. p. 2. n. 4. Sic fructuarius possidet rem nomine suo naturaliter, quoad vsufructum; quamuis non possideat eam nomine suo, quoad dominium directum. Idem possidet vsufructum (seu ius vtendi fruendi, quod habet in re) ciuilitè. Supradictis duabus speciebus possessionis à quibusdam DD. addi solet tertia, quam vocant *Ciuilissimam*, quæ sola legis ordinatione constat, de qua infra n. 48.

DVBITATIO XI.

Quibus modis acquiratur possessio.

R Esp. Tribus modis acquiri, *Apprehensione vera, apprehensione ficta, legis dispositione.*

Apprehensio vera est quæ fit manibus vel pedibus. hæc est necessaria, quando acquirenda est possessio earum rerum quæ dominum non habet, vt ferarum, gemmarum, thesaurorum, insularum, fluminum. Item hereditatis relicte; quia domino caret, qui eam tradat, quando quis etiam clam vel vi possidere vult, requiritur vera apprehensio. denique si alius rem possideat, qui tibi nolit possessionem tradere, debes eam verè apprehendere, vt possideas. Nisi fortè auctoritate Iudicis ea tibi eminus ostendatur, & ficto modo tradatur. Vide Antonium Gomezium in legem 45. Tauri, numero 55.

Apprehensio ficta locum habet, quando res habet possessorem à quo tradatur; vel quando loco possessoris auctoritate Iudicis traditur; huius sunt varij modi: vñtiores sunt isti,

1. Si antiquus possessor tradat alteri, cui vult possessione cedere, clauis domus in qua sunt merces tradendæ; idque apud ipsam domum, seu in præsentia domus, vt probat Couarru. l. 3. Variarum

46

Vera apprehensio ubi sit necessaria.

47

Ficta ubi locum habet.

rum c. 16. n. 11. Ratio est, quia dum emptor apprehendit claves, censetur res ipsas intus conditas apprehendere.

2. Si tradatur alteri scripturam, seu instrumentum, quo constat de titulo & iure quo rem possidebat. Nam in tali instrumento res ipsa contineri videtur.

3. Si antiquus possessor eminus vel cominus ostendat mihi fundum, dicatque se tradere illius possessionem; & ego significem me acceptare: oculi enim sunt veluti longa quaedam manus quibus res vilas quasi contrectamus.

4. Quando post contractum, consentiente antiquo possessore, apponitur custodia nomine eius ad quem res transfertur: siue res sit mobilis, ut pecora, triticum, vel alia merces: siue immobilis, ut fundus, castrum, oppidum.

5. Si dem, aut vendam tibi rem absentem, & constituam me tuo nomine eius rei possessorem: tunc enim per me incipis possidere, nec opus est alia apprehensione. Hoc Iurisperiti vocant tradere & acquirere possessionem per *clausulam constituti*.

6. Si re tibi vendita vel donata, constituam me conductorem eius, vel reservem mihi fructum: nam hoc ipso censetur per me accepisse possessionem. Vide plura apud Antonium Gomezium, ad legem Tauri 45. à numero 45. & deinceps, & Molinam disp. 14.

48
Dispositio
legis.

Legum dispositione interdum transfertur possessio abique vlla vera vel ficta apprehensione, si leges ita statuunt, ut optimè probat Couarru. lib. 3. Variarum cap. 5. num. 6. Ratio est, quia modus acquirendæ & amittendæ possessionis iuri humano subiacet, quod potest statuere varios modos, prout magis videtur expedire Reipub. pro diuersitate rerum & prouinciarum. In regno Castellæ, Maioratus possessio, & omnium pertinentium ad ius primogeniti, transit ad proximum cognatum, vel agnatum, cui iure debetur, sine vlla vera vel ficta apprehensione, ut habetur L. 45. Tauri, citata apud Couar. Simili modo, apud Gallos possessio defuncti transit in eius heredem, etiam extraneum, sine vllò apprehensionis actu; teste Couar. ibidem, qui id ex multis DD. probat. Hunc modum possidendi DD. vocant *civilissimam possessionem*: quia fit sola legis civilis potestate, absque vllò animi vel corporis adminiculo, etiam nesciente eo qui incipit possidere.

Civilis-
sima posses-
sio.

49
Possessio
iurium
quo modo
apprehen-
ditur.

Possessio autem *Iurium & seruitutum* apprehenditur dupliciter. Primò, Si mittam te in agrum, in quo volo tibi seruitutem constituere, tuque illuc eodem animo eas. Secundò, Si vtaris aliquo iure tamquam ad te pertinente, sciente & ferente eo cuius intrerat concedere vel prohibere: qui modus est generalis; & extendit se etiam ad ea quæ non sunt in re aliqua constituta; vt ad ius eligendi, presentandi, & similia, de quò vide Couarr. reg. Possessor 2. p. initio, à §. 8. Quomodo autem beneficij possessio acquiratur, idem l. 3. Variarum cap. 16. num. 10. vbi vide multa alia ad hanc quæstionem de acquirenda possessione variarum rerum & iurium pertinentia. Verum in his omnibus spectandæ sunt consuetudines regnorum & prouinciarum, quæ admodum sunt varæ.

Possessio
beneficij.

DUBITATIO XII.

Quomodo amittatur possessio tum mobilium, tum immobilium.

Resp. & Dico Primò, *Possessio rerum mobilium* tum civilis, tum naturalis, amittitur Primò, Sola voluntate possessoris nolentis eam amplius possidere. Secundò, Per furtum aut rapinam alterius. Tertio, Si alterius custodiæ subit, qui eam incipiat detinere tamquam suam. ad quod requiritur vt eam corporaliter apprehendat re vera, animo eam sibi retinendi. L. Possideri. 3. 7. de acquir. possess. Quarto, Per amissionem rei, v. g. burle, annuli: vel per fugam, si sint animalia; vt si pecus aberrauerit à grege, delinit statim possideri à domino: si gallinæ & similes aues domesticæ auolarunt, nec habeant consuetudinem per se redeundi: secus verò si habeant consuetudinem redeundi. De quibus & aliis animalibus, vt piscibus, feris, columbis, vide plura d. L. Possideri. 7. de acquir. & amit. possessione. Dixi, si sint animalia; quia possessio serui & ancillæ non amittitur per ipsorum fugam, vt patet L. Pomponius. 13. 7. ibidem.

Dico Secundò, *Rerum immobilium possessio* civilis & naturalis amittitur Primò, Si possessor sit longo tempore absens; nec per alium rei insitat, neque etiam protestetur se nolle amittere possessionem: quòd si non diu absit, vel protestetur amittit solum naturalem, non civilem. 2. Si rem sciat ab alio occupatam; & negligat. 3. Si reuersus, statim quidem repetat suam possessionem, sed ab occupante repellatur, nec audeat ei resistere. 4. Si timens repulsam non audeat repetere, aut inuadere possessionem. 5. Si nesciat rem esse suam, & idè nec censetur illam in bonis suis: tunc enim caret animo possidendi. Hinc per longam obligationem perditur possessio, vt docet Glossa in cap. 11. Clerici. 16 q. 4. & colligitur ex L. Furtum. 7. de vfucapionibus. Item si id quod possidemus, ita perdidimus, vt ignoremus vbi sit, vt habetur L. Si id quod. 7. de acquir. possess. 6. Si res ita sit occupata, vt non sit probabilis eius recuperatio. vt si vir valde sit potens, qui illam occupet; vel mare aut flumen affiduè inundet. quamdiu verò possessor est in ipsa re, vt in domo, vel fundo; aut in conspectu eius; aut saltem propè, ita vt præstò possit adesse cum opus fuerit, retinet semper rei immobilis possessionem, tum naturalem tum civilem. Vide plura apud Gomezium supra; & 7. tit. de acquir. & amit. possess.

DUBITATIO XIII.

Quid privilegij conferat possessio.

Resp. Primò, *Possessio*, si sit bonæ fidei, parit præscriptionem; id est, facit vt res quæ non est tua, elapso certo tempore fiat tua, & omnes fructus percepti. Secundò, Si oboriatur dubium de rei dominio, & adhibita diligenti inquisitione maneat adhuc dubium vt rius sit, melior est conditio possidentis. Tertio, in iudicio parit præsumptionem dominij. vnde possessor non debet probare rem esse suam; sed alter, qui eam reperit: qui nisi id satis probet, nihil obtinebit. Quarto, Pos-

Possessor potest armis suam possessionem non solum naturalem, sed etiam civilem tueri, L. 3. de vi & vi armata. & L. 1. C. Vnde vi, & cap. Olim. de restit. spoliatorum. vt si foris rediens, inuenias domum tuam vel agrum ab aliquo iniusto inuafore occupatum, potes illum armis expellere, conuocatis ad id auxilijs necessarijs: seruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia hoc non est inuadere alium, sed suam possessionem tueri. sicut enim non teneor pati vt quis me deiciat à possessione naturali domus vel agri; ita neque à ciuili: deijcior autem, si non audeo illum expellere. Quintò, Possessor expulsus potest armis suam possessionem repetere, modò id fiat confestim & non ex interuallo, inquit Vlpianus dicta L. 3. vt dum fur rem tuam auferens fugit, dum rediens domum, repulsus es ab iniquo inuafore. Dicitur autem fieri confestim, vel ex continenti, quod fit quamprimum commodè fieri potest, spectata rei difficultate & ceteris circumstantijs; vt si auxilia contrahenda essent. vide Silu. v. Bellum 2. n. 3. Sextò, Si dominus rei expellat iniuste possessorem à possessione, amittit dominium, & applicatur expulso. Si non sit dominus, tenetur reddere possessionem expulso, & insuper æstimationem eius; vt habemus L. Siquis in tantâ. 7. C. Vnde vi.

sed hæc lex, præterquam quòd pœnalis sit, ac proinde non obliget ad hanc restitutionem ante sententiam, non videtur amplius in vsu, vt docet Coar. l. 3. variarum c. 16. num. 7. Septimò, Si is qui amittit possessionem, non expellat occupatorem, sed probet, illum vi, clam, aut precario à se accepisse, adiudicabitur ei possessio, siue ille occupator titulum habeat, siue non. Spoliatus enim ante omnia est restituendus. c. 1. 2. & multis alijs de restit. spoliat. & 3. q. 1. & 7. de vi & vi armata. & 7. quod vi aut clam. & 7. de precario. Si autem nihil horum trium probare potuerit, alter retinebit possessionem. §. Quorum vis. in fine Instit. de Interdictis. Sed agendum erit de proprietate, quod vulgò de petitorio dicitur.

Si res subtracta erat defuncto, qui illam tempore mortis possidebat, adiudicanda est eius possessio heredi, postquam hereditatem adierit. §. Sequens diuisio. Instit. de Interd. L. 1. 7. & C. Quorum bonorum. nec refert vtrum clam subtracta sit, an palam tradita tamquam heredi vel legatario, cum talis non esset. Si tamen possessor statim posset ostendere legitimum titulum, non esset priuandus possessione: vt si res vfucapta sit; vt colligitur ex dict. L. 1. 7. Quorum bonorum. iuncta Glossa.

CAPVT QVARTVM.

Quibus, & in quæ Dominium competat. *Constat xi. Dubit.*

DVBITATIO PRIMA.

Utrum soli natura rationali Dominium competat.



RESPONDEO, *Soli natura rationali conuenire; scilicet Deo, Angelis, hominibus.* Ratio est, quia fundamentum omnis dominij est intellectus & libera voluntas, quæ soli naturæ rationali insunt. Quod probatur, Primò, Quia illud est fundamentum dominij, per quod homo habet potestatem disponendi de rebus: hanc autem habet per intellectum & voluntatem; quia per hæc immediatè habet potestatem in suos actus, & per suos actus in res externas. Secundò, Quia ratio dominij includit potestatem liberam, & ordinationem in aliquem finem: atqui solius rationis & voluntatis est ordinare aliquid liberè in aliquem finem. Tertio, confirm. ex Script. Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, bestijs terræ, &c.* vbi tribuitur homini præfectura & dominium in bestias terræ & pisces maris, ratione imaginis diuinæ, quæ consistit in intellectu & voluntate libera. Vide Franciscum Victoria, relect. de Indis, 1. p. n. 20.

2 *Dominium Dei quale.* Deus quidem summum quoddam, absolutissimum, & prorsus independens in omnes creaturas habet dominium, ratione creationis & conseruationis, per quam tota creatura & secundum substantiam & secundum omnes suas perfectiones est ex ipso, & per ipsum, & in ipsum. Vnde de omnibus liberè disponere potest prout placuerit; nec cuiquam fiet iniuria: seposita tamen ipsius liberali promissione & ordinatione, quæ quamdam

obligationem inducit, non quidem *Justitiæ* propriè, sed *Fidelitatis*, seu *Veritatis*; quæ virtus passim in Scriptura *Justitia* vocatur. de quo plura 1. 2. q. 114. Cumque sit immutabilis, inducit etiam quamdam necessitatem, ita vt aliter disponere nequeat, quam ordinauit. Hoc dominium Deus neque potest abdicare, neque vlli creaturæ communicare, neque vllam creaturam ab eo eximere: quia titulus eius neque communicari potest, neque ab eo quisquam eximi. Hic enim titulus est creatio & assidua conseruatio causæ supremæ & independentis. Itaque omne dominium quod creaturis communicatur, infinitis partibus est minus; & essentialiter dominio diuino circa vnâquamque rem subordinatum, ab eoque dependens.

Angeli propriè non vidètur habere dominium, nisi suarum actionum. Possunt tamen etiam dici *Angelo-* habere dominium rerum corporalium; quia magnam habent auctoritatem illas administrandi, quæ auctoritas interdum dominium dicitur. Sed hoc dominium non est tale, quale humanum, de quo modò loquimur. Non enim administrant illas vt suas, neque in suum commodum; sed sicut Præfetti Regij provincias & vrbes, Regis nomine. Secus est de dominio Christi hominis, cui omnia dedit Pater in manus, vt sint ipsius. de quo 3. p. quaest. 8.

4 *Hominibus* propriè conuenit hoc dominium in res externas: nam his solis res externæ concessa sunt, vt de illis liberè disponant ad sua commoda: quod maxime verum est de omnibus rebus sub-